

Guglielmo Ruffo nomina un esperto

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Guglielmo Ruffo nomina un esperto

1336-03-14

In nomine Domine amen. Anno ab incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo trigesimo sexto, die quartodecimo mensis martii, quinte indictionis, apud Seminariam. Regnante serenissimo domino nostro rege Roberto, Dei gratia inclito Hierusalem et Sicilie rege, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Provincie et Forcalquerii, ac Pedemontis comite, regnorum suorum anno vigesimo octavo, feliciter amen.

Nos Mattheus de Abitore, iudex terre Seminarie, Riccardus de Papardo, regius publicus ubilibet per totum Ducatum Calabrie notarius, et testes subscripti ad hoc vocati et rogati, praesenti scripto publico notum facimus et testamur. Quod constitutis in nostram presentiam magnifico viro domino Gulielmo Ruffo de Calabria, comite Sinopoli ac regio generali capitaneo et iustitiario Calabrie, ex parte una, et discreto viro notario Petro Rumbolo de Squillacio, habitatore Seminarie, ex parte altera; consentientibus prius in nostrum prefatum iudicem dicti comitis ut in suum, cum sciant ex certa eorum scientia me suum iudicem in hac parte non esse; asseruit idem comes nuper regiam maiestatem se generalem capitaneum et iustitiarium Calabrie fuisse creatum, et sibi proinde expediens fore unum expertum non habere pro exercendo officio camere iustitiariatus praedicti. Et quia idem notarius Petrus erat unus et suis, ut dixit, plenaria fides facta, sufficiens respectu ad exercendum officium supradictum, propter quod ipsum notarium Petrum, presente coram nobis in nostra presentia, in notarium curie et camere quelibet recepit et confirmavit. Qui notarius Petrus sponte et bona fide promisit et convenit, per guardiam et stipulationem sollemnem, dicto comiti presenti et

stipulanti, officium ipsius camere fideliter et legaliter exequi, et nullum delictum seu fraudem committere, omnesque proventus et quaslibet pecuniarum quantitates scribere, quinternos ordinare et rationem compilare, ita quod comes ipse seu regia curia in aliquo proinde damnificari non possit. Eundemque, si ex defectu et negligentia ipsius acciderit quod ipse comes pretextu dicti officii camere ad aliquod damnum perveniat vel amiserit, idem notarius teneretur et deberet curare et facere cum effectu quod comes ipse servetur indennis, et nullum damnum seu interesse pretextu patiat. Et proinde idem notarius Petrus pro predictis omnibus attendendis et inviolabiliter observandis, et quod teneatur de omni defectu, fideiussores dedit et posuit eidem comiti presenti et recipienti subscriptos, videlicet Mattheum de Alicaro, Georgium Russellum, Henricum de Capua et Regronum cancellarium de Seminaria, ibidem presentes et de predictis plenam habentes notitiam; et pro eodem notario Petro penes eundem comitem ad predicta et predictorum quaelibet voluntarie ac principaliter curaturos et fideiubentes. Qui quidem fideiussores et quilibet eorum in solidum promiserunt et convenerunt, per stipulationem legitimam et sollemnem, dicto comiti presenti et stipulanti, curare et facere et curaturos et facturos cum effectu quod predicta omnia et eorum singula per eundem notarium Petrum principaliter, prout convenit, sunt attendenda et inviolabiliter observanda. Et obligaverunt se predicti principales et fideiussores, et quilibet eorum, instrumentum ut heredes et successores et bona eorum omnia mobilia et stabilia ubicumque melius apparentia, dicto comiti presenti et recipienti, pro se et mihi predicto notario recipienti pro regia curia, sub poena unciarum

auri centum, medietatem ipsius poene dicte curie persolvenda, si secus inde fieret, et reliquam medietatem eidem comiti, ut memoratum, persolvendam. Me predicto notario publico, tanquam persona publica, pro parte dicte regie curie et comitis antedicti, pro se suisque heredibus, a dictis principalibus fideiussoribus et ipsorum quolibet, sollemniter stipulantibus poenam ipsam. Qua poena soluta vel non, presens instrumentum firmum et ratum in suo robore perseveret. Renuntiando dicti principales et fideiussores, et quilibet eorum, in omnibus de predictis omnibus ex certa eorum scientia expressa, exceptioni doli, mali, vis, metus, in factum presenti non celebrato contractu et rei predictae modo non geste, privilegio fori, beneficio restitutionis in integrum, conditioni indebite ob causam et sine causa, epistolae Divi Adriani novo iuri autenticorum de duobus vel pluribus reis debendis beneficio excussionis et divisionis iuri de primo principali conveniendo, de fideiussoribus, omnibusque aliis et omnibus allegationibus et defensionibus iurium, et iuri dicenti generalem renuntiationem non valere, et iuri per quod cavetur quod predicta iura renunciare non possit, quibus predicti principales et fideiussores modo aliquo de iure vel de facto se possent defendere vel tueri. Certiorati se ipsi omnibus quid sint et quid velint, ut intelligantur iura praedicta. Et iuraverunt dicti principales et fideiussores dicto comiti presenti et recipienti predicta vera esse, ipsaque attendere et adimplere ac inviolabiliter observare, ut superius est expressum.

Renuntiando dicti principales et fideiussores, et quilibet eorum, in omnibus de predictis omnibus ex certa

eorum scientia expressa, exceptioni doli, mali, vis, metus, in factum presenti non celebrato contractu et rei predictae modo non geste, privilegio fori, beneficio restitutionis in integrum, conditioni indebite ob causam et sine causa, epistolae Divi Adriani novo iuri autenticorum de duobus vel pluribus reis debendis beneficio excussionis et divisionis iuri de primo principali conveniendo, de fideiussoribus, omnibusque aliis et omnibus allegationibus et defensionibus iurium, et iuri dicenti generalem renuntiationem non valere, et iuri per quod cavetur quod predicta iura renunciare non possit, quibus predicti principales et fideiussores modo aliquo de iure vel de facto se possent defendere vel tueri. Certiorati se ipsi omnibus quid sint et quid velint, ut intelligantur iura praedicta. Et iuraverunt dicti principales et fideiussores dicto comiti presenti et recipienti predicta vera esse, ipsaque attendere et adimplere ac inviolabiliter observare, ut superius est expressum.